DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. JULII A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ENGELBERTUS STEPHANI

POLONUS.

OPPONENTIBUS:

E. BRUENNER, med. et chir. Dr.

G. GERLACH, med. et chir. Dr.

C. BRUNNER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

MATRI

C A R I S S I M A E

AD CINERES COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

Antiquissimis iam temporibus morbi intermittentes, quod summam symptomatum ostendunt varietatem, medicis noti fuerunt, quare iam diu descripta est eorum natura, eo magis, quod in artis medicae patria, in Graecia, Italia, Africa septentrionali, saepissime inveniuntur. Inter omnia autem, quae animadvertebantur, morbi stadiorum definitio maxime erat exculta, cum qualia sint morbi phaenomena, fere plane negligeretur; novissimo demum tempore huic rei, praecipue parti anatomicae morbi, diligentia adhibita est, quamvis in hoc genere maiora sint optanda.

Id, quod proprium habent morbi intermittentes, est crasis sanguinis mutata atque illud iam, quod morbi illi certa aëris indole, quae malaria nominatur, procreantur, concludere nos jubet, aliquid in sanguinem deferri, quo perturbetur, quod etiam via directa probare studuerunt Andral ceterique viri doctissimi, qui indagare conati sunt, quomodo sanguis sani hominis et febre intermittente aegrotantis differant; in his vero quaestionibus, ut multis in aliis, parum nos adiuvat chemia. Id modo constat, in sanguine febre intermittente aegrotantium

serum valde esse auctum, quod maxime minutis sanguinis corpusculis efficitur, cum albuminis vel fibrinae copia haud multum differat a sanguine sano. Quaestio vero nondum est diremta, cum verisimile sit, etiam aliud anomalum quoddam sanguini illi inesse, quoniam haud raro in illo inventa sunt bilifulvinum atque biliverdinum; quod praeterea probatur cutis calore proprie mutato eorum, qui febre intermittente laborant, qui color praecipue in illis observatur regionibus, in quibus febris intermittens est endemica, quamobrem veteres iam medici proprium commemorant colorem febrilem. In febre intermittente crasin sanguinis esse mutatam, deinde hac re demonstratur, quod facillime abit in hydropem, quem hac sola sanguinis dyscrasia effici, inter omnes satis constat. Denique sententia illa confirmatur lienis mutatione, iamiam a medicis antiquis pro morbi anatomica quasi parte habita, quae quidem efficitur aucto organi volumine atque in formis morbi benignis inter paroxysmos solos adest, in malignis autem permanet; praeterea etiam commutatur lienis structura, cum saepe, praecipue in febre intermittente quartana, organi malacosis adsit tanta, ut ictum aut motum graviorem lienis discissio atque exitus letalis subsequantur. Opposita malacosi est lienis induratio, exsudatis plasticis, inter et circa organi substantiam depositis, procreata, quam praesertim invenimus in febre intermittente inflammatoria.

Opposita illi mutatae sanguinis crasi sunt elementa nervosa, quae praecipue permagno gradu et mirifica

symptomatum mutatione ita medicorum animum tenuerunt, ut iam diu febrem intermittentem systematis nervorum morbum habuerint atque adeo celeberrimus Autenrieth censuerit, illam esse vasorum epilepsiam, licet, quid hoc sit, me non intelligere, ingenue confitear. Novissimo tempore febris intermittentis sedem ad medullam spinalem transtulerunt, quod quidem non unicum est onus, post Ch. Bell, viri illustrissimi, quaestiones de medulla spinali mirabiles et summopere aestimandas, huic organo impositum. Causam sententiae illius mirificae habuerunt, quod inter paroxysmum aut haec aut illa columnae vertebrarum pars doleat, sed factum hoc et observatione accuratissima rarissime confirmatur et symptoma subiectivum tam incertum, a sola aegroti sensibilitate pendens, plane est reiiciendum, praesertim cum concedere oporteat, in hominum febre intermittente mortuorum medulla spinali nec cultro anatomico nec microscopio mutationes minimas unquam esse repertas. Mutata sanguinis crasis in compluribus quidem casibus a nervorum systemate sentitur, quo incitamento varii procreantur reflexus nervosi, sed, qui diu febri intermittente laborant, sensim contra incitamenta illa hebescunt ita, ut morbo non sanato paroxysmi desinant atque post longius temporis spatium rursus appareant, qua re affirmatur paroxysmorum causae permanens et stabile quiddam, ut ita dicam, inesse. —

Incitamenta illa symptomatum efficiunt variationes, quae, cum quod ad tempora tum quod ad organorum

situm, quibus symptomata procreantur, attinet, respici possunt. Tempora duo divisa sunt in stadia, alterum quidem, cui apyrexiae nomen est, quod symptomatibus illis caret, alterum, pyrexia s. paroxysmus nominatum, quod ea offert. Diuturnitate apyrexiae autem febris intermittentis constituitur typus, qui secundum illam has praebet varietates:

Symptomata periodica semel producuntur intra horas viginti quatuor, febris intermittens quotidiana, aut intra horas quadraginta octo, febris intermittens tertiana, aut intra horas duas et septuaginta, febris intermittens quartana. Nonnulli medici etiam de longioribus dixerunt intervallis typumque quintanum septanumque, imo etiam menstruum statuerunt, nonnulli quoque ita protulerunt observationes ingeniosas, ut typum constituerent annuum, quae tamen omnia fabulosa mihi videntur esse. Typi illi, qui semel tantum illa per tempora renovantur, simplices appellantur, quibus duplicitas et duplicatio sunt oppositae. Duplicem nominamus typum illum, si per illud temporis spatium paroxysmi duo pro uno observantur, quibus potest intelligi, febrem intermittentem quotidianam esse duplicatam, si quotidie duo se ostendant paroxysmi etc. quae quidem typorum monstrositas rarissime, duplicitas autem, praecipue in febre intermittente quartana, frequentissime invenitur. Tum, quo die lege typorum nullum aegroti paroxysmum pati debeant, tamen observatur, exempli gratia ita ut in febre intermittente tertiana die quovis adsit paroxysmus, quam ob rem fortasse omnino non esse

duplicitatem aliquis possit putare, sed febris intermittens duplex a quotidiana ita dissidet, ut huius paroxysmi aequalem habeant et intensitatem et diuturnitatem, in febre intermittente duplice autem paroxysmi, qui efficit duplicitatem, minor sit et intensitas et diuturnitas, quod etiam in illis cessuris invenimus, nam minor primum desinit paroxysmus atque ita usque ad convalescentiam completam typus relinquitur regularis. Commemorandum est etiam hoc loco, paroxysmum aut certis semper temporibus, quod tempus paroxysmi redeuntis fixum, aut alio semper tempore, quam superiorem, quod tempus nominatur variabile, reverti. Si tempus paroxysmi redeuntis non est fixum, typum habemus erraticum, abs quo typus anticipans, quo paroxysmi certum semper tempus ante, et typus postponens, quo certum semper tempus post superiorem, redeunt, dissidet.

Quod ad momentum alterum: quo in organo periodice revertantur symptomata, tres discernuntur ordines:

Primum ordinem, qui ea complectitur symptomata, quae universum vasorum systema et imprimis eius organon centrale, cor, experitur, febres intermittentes legitimas nominant et tria in stadia, frigoris, caloris, crisis dividunt. In frigoris stadio aegroti sentiunt frigus, quod plurimum a dorso incipit, deinde totum per corpus dispergitur et ab horripilatione ad frigus conquassans, vel etiam ad rigorem algidum augetur, quam postremam febrem algidam nominamus, quod frigus non

modo est subiectivum, sed etiam obiectivum, manu scilicet ac thermometro, in quo, si marmoris frigore partem tangit affectam, decem ad duodecimum gradus hydrargyrum contrahitur, sentiendum; quo frigore diminuitur turgor vitalis, cutis corrugatur, pulsus est parvus, debilis, contractus, saepe filiformis, imo asphyxia potest apparere. Quemadmodum sanguis e partibus extremis retrahitur, ita in internis partibus apparent hyperaemiae, non modo in liene, sed etiam in capite, quae cerebri oppressionem, ad soporem quandoque auctam, et in pulmonibus, quae asthma, et in systemate chylopoëtico, quae vomitum, diarrhoeam, vel etiam faeces cruentas efficiunt. Urina in paroxysmo plurimum caret pigmento, est urina spastica. Hujus stadii longitudo inter horae quadrantem et inter horas complures variat atque tum caloris stadium incipit, in quo cutis paullatim turgescit et augescente temperatura rubescit, quae etiam thermometro potest definiri, sed vix duobus vel tribus gradibus magis, quam in statu normali, augetur. Pulsus fit magnus et mollis unaque hyperaemiae symptomata organorum internorum aut omnino desinunt, aut saltem deminuuntur et urina est parca, pigmentosa, fere flammea. Denique criseos stadium accedit et quidem, si paroxysmi decursus est regularis, sudore et urina perficitur; larga enim diaphoresis, qua cutis temperatura deminuitur et ad normalem prope accedit, intrat. Simul sudor specifice redolet, ut iam procul a conspectu aegroti febrem intermittentem possimus suspicari, si inter sudoris stadium ad eum accedimus. Quae autem sit

huius odoris causa, adhuc nobis ignotum est, sed constat, neque acido lactico, ut in Rheumatismo, neque Ammoniaco, ut in typho, eum produci. In urina, vix frigescente, magnae Ammonii et Natri urici copiae pigmentosae, quas sedimentum nominant lateritium, separantur. Cum haec crisis est absoluta, apyrexia sequitur, in qua aegrotus sanus videtur esse, donec certo temporis intervallo praetermisso idem apparet symptomatum ordo. Sed etiam particularis tantum paroxysmus potest accidere, aut modo hoc, aut modo illo febris intermittentis legitimae stadio apparente. Raro frigoris stadium seorsim animadvertitur, saepius eo deficiente caloris et criseos stadium, saepissime autem post certos typos magna tantum diaphoresis urinaeque sedimentosa, motibus systematis vasorum non antecedentibus, observantur. Alius est paroxysmus dissectus, cuius stadia non continua sequuntur, sed separata sunt intervallis, et quidem saepissime die febrili propria stadio frigoris calorisque afficiuntur aegroti, sed crisis demum post duodecim ad viginti quatuor sequitur horas, imprimis in febre intermittente tertiana et quartana; simul urina post stadia illa non sedimento imbuitur, cutis frigescit, non autem sudat, quod demum, ut antea diximus, post duodecim ad viginti quatuor evenit horas. Multo rarior haec paroxysmi dissecti forma videtur: primi paroxysmi apparent cum caloris stadio, deinde crisis accedit ac postremo frigoris sequitur stadium, quam formam medici antiqui paroxysmum inversum nominarunt, quem tamen interpretari non potuerunt, licet facillime intelligatur,

frigoris stadium non praecipue eidem, cui caloris et criseos stadium praeteritum, tribui posse, sed, potius iamiam esse paroxysmi sequentis fragmentum. —

Ordo secundus febres intermittentes larvatas, a Morton, medico anglico, sub saeculi decimi septimi finem vulgatas, quae etiam ab aliis afebriles aut illegitimae nominantur, comprehendit, in quibus periodice singulorum nervorum vasorumque impediuntur functiones; quam ob rem etiam a nonnullis nominatae sunt febres intermittentes partiales, quin etiam sunt, qui contendant, alteram aegrotorum corporis partem morbo affectam, alteram integerrimam sese vidisse. Haec autem, ut illa supra de typo febris intermittentis annuo dicta, certo sunt fabulosa, quamvis negare non possimus, interdum in uno tantum maiore vase, velut in carotide, turgescentiae observari symptomata. — In febre intermittente larvata primum systema nervorum, tum systema vasorum partim est commutatum, et illae quidem duas in partes dividuntur, in neuralgias et paralyses; sic saepissime febres intermittentes larvatae et contra formae obveniunt, in quibus aegroti quotidie aut plane aut prope sunt amaurotici; nec minus febres illae per nonnullas horas cum singulorum nervorum motoriorum spasmo, veluti cum capite obstipo, sunt coniunctae. Sed in his quoque formis larvatis tamen inter se consentiunt momenta qnaedam, quae sunt haec:

Primum formae istae larvatae illo modo adsunt tempore, quo in regione quadam est endemica aut epidemica febris intermittens, atque praesertim epidemiarum

vernalium initia vulgo illis formis larvatis significantur; deinde formae illae omnes typum legitimum et quidem saepissime typum quotidianum praebent; tum illae febri intermittenti mutationes propriae, inter quas praecipue lienis colorisque sunt nominandae, magis minusve observantur; denique crises vulgares, praesertim urina sedimentosa, apparent. —

Tertius ordo febres intermittentes comitatas continet, in quibus simul cum febre intermittente legitima aliorum etiam organorum laesae functionis symptomata observantur. Frequentissima est complicatio cum statu gastrico aut gastrico-bilioso, quae fere nunquam est periculosa; funestior autem complicatio cum oppressione cerebri, quae febris intermittens apoplectica, aut cum medullae spinalis laesione, quae febris intermittens tetanica, aut cum vehemente tractus intestinalis irritatione, quae febris intermittens cholerica, aut cum laesa pulmonum functione, quae febris intermittens pneumonica, aut cum cordis irritatione, quae febris intermittens syncoptica nominatur, quia vulgo cum syncope est coniuncta. —

Tres autem sunt, quae febrem intermittentem procreant conditiones, quarum prima est praedispositio, secunda sunt causae externae, tertia momenta illa sistit, quae causas externas cum homine quodam communicant ita, ut in eo oriatur febris intermittens. —

Parcit praedispositio nec aetati, nec sexui, sed adnotandum est, tantummodo in hominibus, non in bestiis eam observari, quam ob rem medici nonnulli haud po-

tuerunt, quin hoc beneficium febrile inter momenta insignia, quibus bestiae superentur ab hominibus, retulerint; factum autem revera constat atque eo magis notatu est dignum, quod in regionibus illis, in quibus endemica aut epidemica est febris intermittens, bestiae quoque ex morbis contagiosis, ut ex lienis gangraena, laborant, illa autem destituuntur. Paululum tamen variat praedispositio, quod aetate iuvenili valde est intensa, aetate autem provectiore paulo deminuta, quod status certi, ut graviditas, eam adaugent, et quod, si morbus semel adfuit in homine, ita crescit, ut saeculo praeterito nonnulli Bataviae viri pii praedispositionem illam aequalem habuerint peccato innato adeoque dixerint, peccatum innatum ablui posse baptismate, contra illam autem nullum adhuc exstare sacramentum. Denique migratione ex regione salubri in aliam, malaria imbutam, tantopere adaugetur praedispositio, ut advenae, cum sensim contra malariam hebescant indigenae, fere statim morbo corripiantur. —

Secunda igitur, quae febrem intermittentem procreat, conditio causis externis, in propria aëris indole, malaria nominata, sitis efficitur, cuius aëris fontes tres adhuc sunt noti, et quidem primus ex aqua oritur stagnante, quae luce et calore decomposita, aërem gignit, febrem intermittentem, si inspiratur, efficientem. In paludibus autem illis certae plantae, ut apud nos Caricinearum familia aut Calamus aromaticus, adsint necesse est. Ut Schoenlein, praeceptor meus illustrissimus, contendit, terrae ipsius, in qua stagnat aqua, compositio

multum valet ad malariam procreandam, quippe, si marga, argilla, aut argilla et calce mixtis, non si arena, quarzo aut cespite bituminoso, ut ita dicam, composita est terra, malaria oriatur. —

Novissimo tempore impugnata est doctrina de malaria, sed certe perperam, nam Schoenlein, vir celeberrimus. narravit quondam casum, illam satis comprobantem. Anno millesimo octingentesimo septimo enim in Helvetiae convalli amoenissima, rivis compluribus rigata, facta est montis ruina, quae permagnam squaloris pulverisque copiam in convalli coacervavit rivosque partim obruit, qui stagnantes febris intermittentis procrearunt epidemiam, cum antea ne morbi vestigium quidem adfuerit; sed liberatis pulvere atque squalore rivis, statim febris intermittens desiit. —

Deinde malaria illa aqua salsa dulcique confluentibus procreatur, quod fit frequentissime, cum amnes maiores in mare effunduntur, praesertim cum moles oppositae sunt fluctibus, ut terrae humiliores ab inundationibus defendantur; perruptis autem illis atque aqua postea stagnante malaria oritur. Eodem modo gignitur malaria in terris, inter Borysthenem et Tyram sitis, in quibus fontes salini omissi, nec margine cincti, per longiora manant spatia. —

Denique malaria oritur eruptione vulcanica, inter quam Gasorum irrespirabilium formatur copia, quo facto febris intermittens fit endemica, qualem praecipue Neapoli, in Sicilia atque Islandia observare licet; sed vulcani iamiam exstincti malariam possunt gignere, cum

saxa liquefacta, quae Lavam dicimus, semper decomponuntur; quam ob rem tempore aestivo observantur in regionibus aridis et altioribus, sed in solo illo sitis, febres vastificae, ut in Campania Romana. —

Chemia adhuc paulum illustrata est malariae natura atque sola gas hydrogenium sulphuratum et hydrogenium carbonatum semper in illa sunt reperta; nam, licet magnam ad illam perscrutandam dederint operam viri doctissimi, tamen adhuc studia fuerunt frustranea. Certo autem scimus, ab aëre nostro differre malariam eo, quod multo sit gravior, quam ob rem semper impendet terrae solo; variis autem temporibus variat quoque eius altitudo, quae, prout plus minusve procreatur, a pedum nonnullorum usque ad ulnarum permultarum extenditur altitudinem. Deinde aër, malaria gravidus, aliter infringit, quam aër noster, lucis radios, qua de re, cum procul eum intuemur, subflavus et subruber nobis videtur esse, licet nihil animadvertamus, cum versamur in eo ipso. Denique malaria specifice gas hydrogenium carbonatum, non gas hydrogenium sulphuratum, redolet, quam ob rem foetidae illae in Batavia nebulae vernales certissime febrem intermittentem indicant. —

In omnibus autem regionibus, in quibus permanet malaria, endemicae quoque sunt febres intermittentes, in iis contra epidemicae, in quibus illa variis modo temporibus procreatur. Invenimus autem febrem intermittentem in terris, conditiones oppositas iis, quae antea a nobis ad malariam procreandam necessariae sunt allatae, praebentibus, quo facto nonnulli sunt usi

ad totam de malaria doctrinam evertendam; sed immerito, nam ad haec loca malaria, in regionibus remotis orta, aëris cursu agitur, quam ob rem saepissime videmus loca, montibus ab aëris cursu defensa, febre intermittente non tangi, cum alia, prope illorum montium oras sita, febri succumbant. — Apud nos conditiones ad malariam procreandam necessariae vulgo efficiuntur, si nivibus liquescentibus oriuntur inundationes, paulo post malariam illam, quae in locis paludosis enata dicitur, atque febres intermittentes vernales gignentes, quae a Marte usque ad Junium protrahuntur atque tum succedunt febres gastrico-biliosae; aut conditiones illae simul cum imbribus autumnalibus incipiunt atque febres intermittentes autumnales, a Septembri usque ad frigoris initium permanentes, procreant. In Europae regionibus meridionalibus contra, terrae natura vulcanica praevalente, febres intermittentes ab aestate usque ad autumnum extremum atque in terris tropicis rursus per tempus pluviale observantur.

Hac autem re differunt febres intermittentes nostrae, quod febris intermittens vernalis plerumque est benigna, quotidiana aut tertiana, autumnalis autem maligna, quartana, quod illa est anticipans, haec postponens, denique quod illa cum paroxysmis erethicis, haec cum paroxysmis torpidis est coniuncta. —

Febris intermittens loco quodam epidemica promte alios morbos acutos, praecipue catarrhos et typhos, etiam inflammationes excludit, aut si hoc non fit, insignem habent decursum typicum morbi illi, ut saepe

periodum quotidianam aut tertianam animadvertere possimus; sed in morbis chronicis quoque, praesertim in phthisi pulmonali, idem evenit et febris hectica tam febri intermittenti est similis, ut et medicus et aegrotus per longum temporis spatium fallantur. Tempore illo, quo epidemica est febris intermittens, ex se contagium creare dicitur ita, ut homines sani, si commercium alunt cum aegrotis illis, inficiantur. quod quidem fieri potest, cum sudor in morbo illo eundem edat foetidum odorem, quem in aliis morbis contagiosis. sed res nondum constat. —

Ultima conditionum illarum, febrem intermittentem procreantium, sunt momenta illa, quae causas externas cum homine quodam communicant ita, ut in eo oriatur febris intermittens. Si enim in loco quodam febris viget intermittens, impulsu tantum minimo opus est, ut in homine oriatur, quae igitur momenta externa morbum aliquem possunt gignere, in illo gignent febrem intermittentem, ex quibus rursus duo praecipue sunt nominanda: alterum est digestionis apparatus, qui facillime laeditur fructuum certorum, ut cucumerum, melonum, malorum Persicorum, caricarum, idcirco febriculosorum nominatorum, usu: verum etiam ex aquae, in regionibus illis plerumque materiis quibusdam putridis refertae, usu facillime febris intermittens oritur, et, quia cum tractus intestinalis irritatione est coniuncta, febris intermittens gastrica nominatur. —

Alterum momentum externum est cutis, nam febris intermittens certe oritur, si quis perfrigescit atque im-

madescit, si in terra humida aut in loco aprico dormit. Saepissime febri intermittenti praecedunt symptomata localia, aut gastrosis, si quis alimentis noxiis vescitur, aut catarrhus et neuralgia, si laesa est cutis functio. —

Varius est febris intermittentis decursus; raro enim paroxysmus unus exstat atque tum febris nominatur ephemera, saepius paroxysmo quarto aut quinto, etiam sine medici auxilio, quod apud nos haud raro fit, morbus terminatur; febris intermittentis endemicae autem decursus incertior est et longior, atque fere numquam sola naturae vi tollitur, sed per menses et annos potest protrahi, quamvis singulae intrent longiores aut breviores remissiones, quibus etiam morbi typus mutatur ita, ut febris intermittens quotidiana tempore vernali mutetur in tertianam, tum per tempus aliquod remittat, autumno quartanae speciem praebeat, per hiemens rursus remittat, atque vere iterum in tertianam mutetur; eodem modo mutatur paroxysmus, qui initio est sthenicus, sed sensim sensimque remittens transit in torpidum. —

Varii quoque sunt febris intermittentis exitus, nam aut abit in sanitatem completam, aut relinquit residua, aut morbo alii ansam praebet, aut directe aut indirecte mortem inducit. In exitu primo rursus singuli paroxysmi et totius morbi fines sunt discernendi; paroxysmus enim finitur, ut supra diximus, urina et sudore criticis atque, si cum statu gastrico bilioso est complicatus, Eczemate febrili aut vesicularum zosteri similium eruptione, quam medici jam antiqui boni ominis habue-

runt, quibus sub crisibus exanthematicis plerumque plane deficit aut nimis parca est crisis per urinam. Convalescentia completa non ex paroxysmis cessantibus, sed ex illis, quae statim afferam, cognoscitur: notum est, paroxysmum subito desinentem semper mali esse ominis atque non morbum sanatum, sed ejus decursum turbatum indicare: deinde scimus, si aegroti proprium faciei calorem febrilem prae se ferant, languidi sint et laxi, atque si temporibus illis, quibus paroxysmus plenus adfuerit, signa illius nonnulla, ut pulsus acceleratus, calor auctus, sudoris urinaeque secretio mutata, intrent, semper latere febrem intermittentem, licet paroxysmi absint, quo quidem tempore aegroti ab aqua abhorrent ita, ut lotionibus frigidis saepissime provocentur paroxysmi. Dies certi, a veteribus dies nefasti nominati, paroxysmo cessante prae aliis sunt periculosi, octavus enim dies in febre intermittente quotidiana et quartana, quamobrem therapia semper ad hoc temporis spatium extendatur necesse est.

Secundus febris intermittentis exitus est ille, quo residua manent, inter quae frequentissima est lienis, rarior, praesertim apud nos, hepatis hypertrophia, quae lienis hypertrophia dicitur placenta febrilis diuque exstare et semper augeri potest, quod praecipue fit in febre intermittente quartana: apud mulieres saepissime haec lienis mutatio cum menostasia complicatur, quo in casu inter nonnullarum hebdomadum spatium lien triplo aut quadruplo augetur. Hypertrophia illa aut cum induratione aut malacosi est coniuncta; quae quidem in-

duratio praecipue sequitur febrem intermittentem quotidianam et tertianam sthenicam atque tum lien est durus, resistens, saepe valde dolorificus; malacosis autem sequitur febrem intermittentem quartanam et procreat tantam lienis magnitudinem, ut totum abdominis latus sinistrum usque ad pelvim expleat, quam ob rem organa cetera, praecipue tarctus intestinalis, ad latus dextrum dimoventur, ut efficiatur obstructio alvi, oppressio regionis epigastricae, ructus vomitusque acidulus, cephalalgia, epistaxis, coniunctae cum colore chlorotico macieque permagna. Rarissime invenitur lienis atrophia, quae semper est lethalis; statu illo funestissimo usque ad ovi volumen deminuitur lien, qua de re exploratione manuali saepissime eum reperire non possumus; sequitur tum diarrhoea colliquativa, cum colore faciei pellucido, cerae flavae simili, coniuncta. Rarior, quam lienis, est hepatis mutatio, quae etiam aut est hypertrophia, aut atrophia, atque semper efficit icterum aut malignum, aut, ut in febre intermittente gastrico-biliosa, benignum, qui crisin designat, cum sub paroxysmi fine simul cum sudore intret atque facillime a maligno eo discernatur, quod nullae hepatis mutationes adsunt organicae, quod icterus subito oritur, quod color cutis est subflavus et urina bilis expers.

Alius febris intermittentis morbus consecutivus est hydrops, qui triplici modo oriri potest: primus atque rarior est hydrops calidus seu febrilis, qui celerrime, imo inter paroxysmum oritur et quasi crisis est perversa, cum in criseos per sudorem et urinam, aut omnino de-

ficientis aut non sufficientis, substituatur locum. Exsudatio fit vulgo intra saccum peritonaei atque saepissime haec hydropis forma coniuncta est cum albuminuria, quae etiam in morbum Brightii potest mutari. Forma hydropis secunda multoque frequentior est hydrops frigidus, solam sanguinis dyscrasiam, febre intermittente relictam, sequens et praecipue homines illos corripiens, qui iam ante febrem intermittentem chlorosin, scorbutum aliosque huius generis morbos superaverant: si illi febre intermittente, praesertim quartana, diu laborant, rariores fiunt paroxysmi, denique oritur hydrops aut ascites aut hydrothorax, coniunctus cum faciei livore, pulsu minimo, debili, filiformi, urina uberrima, pigmento salibusque libera. Tertia hydropis forma est hydrops organicus, semper ortus ex organorum internorum, prae aliis lienis hepatisque, mutatione et cum urina parcissima, salibus autem abundante, coniunctus. —

Tertius febris intermittentis exitus est in morbos alios, iamiam affinitate et congruentia quadam illi similes, ex quibus prae aliis duo sunt afferendi: primus est febris illa, ab antiquis febris remittens gastrica nominata, secundus typhus, et quidem in priorem transeunt morbum febris intermittens quotidiana et tertiana, praecipue ubi iam cum statu gastrico aut gastrico-bilioso complicatae erant; in typhum autem exit febres intermittens aut in hominibus dyscrasia aliqua affectis, aut mala curandi ratione, imprimis methodo resolvente nimis adhibita, debilitatis, et quidem typhus emeticus dicitur, qui permagna cum lienis hypertrophia simul ac malacosi

est coniunctus et aegrotorum vires haemorrhagiis colliquativis facillime consumit. —

Omnibus his morbis alii sunt oppositi, qui febre intermittente excluduntur, quam ob rem veteres etiam medici febrem intermittentem nominarunt depuratoriam, dicentes febre illa ita depurari corpus, ut non modo morbis praesentibus, verum etiam futuris liberaretur. De hac re nostris temporibus permulta disputarunt viri doctissimi, praesertim cum illurtrissimus Schoenlein sententiam proposuisset, tuberculosin febre intermittente excludi; adversarii enim dicunt, phthisin et febrem intermittentem uno eodemque loco simul exstare posse, quod ita se habere, nemo dubitaverat: sententia illa enim tres continet has interrogationes: num quis simul duobus illis morbis affici possit, deinde, num loco, quo endemica adsit malaria, tuberculosis etiam inveniatur, denique, num homines, tuberculosi correpti atque in locum illum migrantes, infirmiores reddantur, atque tuberculosi opprimantur. Est autem res notissima, loco, quo endemica adsit malaria, tuberculosin tam raro inveniri, ut vix centesima hominum pars morbo illo, in aliis regionibus frequentissimo atrocissimoque, pereat; sed etiam in singulis hominibus idem observatur, nam si quis, tuberculosi laborans, ad locum migrat, quo endemica est febris intermittens, tubercula involvuntur, sin autem rursus locum alium, quo malaria non adest, petit, tuberculosis revertens celerrime in phthisin abit et quidem fere semper corripit pulmonem sinistrum, lieni correspondentem. Febre intermittente alios excludi morbos,

refutari igitur non potest, sed videamus, num revera febrem intermittentem illam, quam veteres nominarunt depuratoriam, agnoscere possimus, atque idcirco quaeritur, num conditiones sint notae, ex quibus intelligere liceat, febrem intermittentem in homine aliquo esse depuratoriam. Quaestio haec affirmanda est et imprimis in homine illo, antequam incipiat febres intermittens, morbus alius adsit necesse est, quem tunc illa excludit; deinde experientia confirmetur oportet, num revera febri intermittente morbus ille excludatur, nam exempli gratia nunquam excluduntur scrophulosis aut rheumatismus, certe autem neuroses illae, quarum causa posita est in nervorum gastricorum systemate, ut melancholia et hypochondria, atque eodem modo febri intermittente corriguntur febris intermittentis praeteritae residua, nec non organorum sexus anomaliae, ut menostasia, sterilitas, aliae; deinde respiciendum est, num febris intermittens sit benigna; denique morbus, qui depuretur, malignior atque tenacior, quam illa ipsa, sit necesse est.

Teterrimus febris intermittentis exitus est lethalis, qui eheu! praecipue in terris meridionalibus non est rarus et vario modo inferri atque ex organis variis proficisci potest. Mors nunquam in apyrexia, sed semper in paroxysmo, et quidem in Europa septentrionali fere semper in frigoris stadio, cerebri medullaeque spinalis apoplexia efficitur, quam ob rem sectione aut hyperaemiam permagnam aut exsudata, sive aquosa sive gelatinosa, in utriusque tegumentis, praesertim inter cerebri membranas, invenimus; sed inducitur etiam exitus lethalis

apoplexia cordis atque discissione atrii dextri. In terris meridionalibus plerumque in caloris stadio, sive cerebri aut medullae spinalis apoplexia. sive suffocatione, pulmonum hyperaemia effecta, aegroti moriuntur. In febre intermittente maligna fere semper mors criseos stadio supervenit ex virium defectu, qui aut sudoribus colliquativis, aut, ut in febre intermittente cholerica, vomitu, diarrhoea, haemorrhagia intestinali vehemente, aut anaemia efficitur. Apud nos exitum lethalem saepe morbi consecutivi, praesertim cirrhosis hepatis, cum ictero organico coniuncta, procreant; eodem modo lienis intumescentia, quam sequitur haematemesis aut lienis discissio, denique hydrops, sive est acutus, sive organicus, aegroti vires consumunt. —

In febre intermittente curanda haec sunt respicienda: primum malariae origines tollendae, quod autem civitatis, non medici privati est; tum, quibus in locis febris intermittens saepius exstitit, prophylaxis est administranda. Maiores nostri amuletis commodum hoc vindicabant et novissimo tempore sacculi, china pulverata referti, secum tulerunt permulti, putantes chinam, quod medeatur febri intermittenti, hanc febrem etiam arcere posse; sed sola prophylaxis diaeta est idonea et strenua; pariter vitanda sunt omnia, quibus morbus oriri possit. Denique methodus abortiva est adhibenda, simulac prima certa se ostenderint morbi symptomata, quod optime efficitur emetico e Tartaro stibiato et Ipecacuanha composito, ut et vomitus et sudor eliciatur; una cum his infusum haud nimis aromaticum detur,

quo utens aegrotus in lectulo detineri et per complures dies diaetae strenuae indulgere debet. —

Indicatio morbi tum exstat, cum omni ex parte est exculta febris intermittens, atque primum singuli curentur paroxysmi, deinde totus removeatur morbus necesse est. Vario autem modo curantur singuli paroxysmi, prout febris intermittens est legitima aut anomala. In curando febris intermittentis legitimae paroxysmo ante omnia febris indoles est definienda, quae, ut iam supra diximus, aut est erethica, aut sthenica, aut torpida. Febris erethicae cura est exspectativa, mere fere diaetetica; des igitur aegroto in frigoris stadio infus. Chamomillae, tegas eum stragulo calido et cutem frices arido flanello, uti germanice nominatur; in caloris stadio tegas aegrotum straguli leviore, eique bibendum potum acidulum refrigerantem largum porrigas, nam quo magis hoc fruitur, eo certior in stadio tertio cutis crisis aderit, qua intrante aegrotus se recreatum sentiens saepe lectum relinquit, quo facto autem crisis turbatur et febris aut ad sthenicam evehitur, aut ad torpidam deminuitur. —

Febris intermittens inflammatoria et torpida vi quadam et energia curentur necesse est. Contra febrem intermittentem inflammatoriam, cuius frigoris stadium tantummodo breve, caloris autem, per decem ad duodecim horas perstans, simul est periculosius, in stadio primo aut nihil, aut summum aliquid potus tepidi porrigas; secundum stadium aut simplex est, aut cum hyperaemiae internorum organorum symptomatibus con-

iunctum; in primo quidem casu frigidi potus dentur, in secundo autem statim ab initio sanguinis detractiones locales, imo universae sunt adhibendae. Caloris stadio peracto, aegrotus omne periculum superavit, nam criseos stadium non est periculosum, nisi medicus ad augendam cutis crisin, fortasse exiguam, remedia det excitantia, nam curatio ad antiphlogosis similitudinem accedere debet.

Febris intermittens, etiam maligna proprie sic dicta, praecipue in frigoris et criseos stadio est periculosa, inprimis cum per longum febris intermittentis algidae frigoris stadium sanguinis affluxus a partibus periphericis ad organa centralia nimis augeatur. Tum locales, non universae, sanguinis detractiones sunt adhibendae, nec non remedia derivantia, ut Sinapismi etc. donec rubescat cutis; ad usum internum Ammonii praeparata cum infuso Serpentariae, Valerianae, simulque potus calidos, spiritum continentes, porrigas. Si adest dysphagia et paralysis, opium commendatum est pro remedio specifico, quod autem in his tantummodo duobus casibus maximi est momenti: primum, si in ipso frigoris stadio loco hyperaemiae cerebri anaemia cum facie hippocratica apparet, secundo in febre intermittente maligna cholerica et dysenterica. Si caloris stadium incipit, pro momento abest periculum: stadium hoc autem tantummodo breve est, qua quidem de causa frigoris stadii curatio in eo quoque continuanda. In stadio tertio saepe alterum novum exstat periculum, crisi aut nimis parca aut cum sudoribus colliquativis coniuncta,

et quidem in casu primo diaphoretica et excitantia dentur, in secundo, quo sudor ab initio profusus, tum albuminosus et gummosus est, atque collapsus et mors facillime sequi potest, lavetur cutis aceto vini, cui etiam spirituosa adiungere licet: pro potu vina acidula et aquae martiatae dentur. —

Secunda febris intermittentis forma est febris intermittens larvata seu anomala, in qua duplices esse possunt paroxysmi; apparent enim aut ita, ut singulae vasorum provinciae, ut in haemorrhagiis periodicis, aut singulae nervorum systematis ramificationes, ut in paralysi aut neuralgia, affectae sint. Paralysis autem invadit aut nervum quendam ad vitam non absolute necessarium, quo in casu nihil est adhibendum, quod plerumque iam post aliquot horas desinit affectio illa, aut nervum cum organo aliquo communicantem, cuius integritas necessaria vitae est conditio, ut nervum pneumogastricum, quo in casu cito incitamenta sunt adhibenda, ut Sinapismi, aut vapores fervidi ad locum affectum adducti, praeterea emetica. Neuralgiae saepissime in nervo trigemino sub prosopalgiae Tothergillii forma apparent et tam vehementes esse possunt, ut convulsiones efficiant, in quibus Narcotica, imprimis Morphium aceticum, aqua frigida solutum, ad locum affectum applicentur. —

Indicationis morbi altera pars morbum universum respicere et removere debet, quod efficitur remediis febrifugis, proprie sic dictis, quorum numerus est permagnus, attamen duo, China et Arsenicum, in omnibus

sufficiunt casibus. China ipsa tempore nostro in convalescentiae tantum adhibetur stadio, cum ad morbum ipsum sanandum eius salibus, praecipue Chinio sulphur. et hydrochlor. utamur, quae autem non in apyrexia, aut paulo ante paroxysmum dentur, sed optime altera detur dosi sudoris stadii initio, altera illius fine; pro dosi autem des gr. jv—vj, nam minores doses plerumque nihil valent; si vehementes deglutitionis organorum accedunt convulsiones, ut fit in febre intermittente maligna, aut si statim vomitu redditur remedium, Chinin. sulphur. gr. jv—vjjj, aquae ℥jjj solutis nonnullas addas Tctr. Opii gtt. quam mixturam per clysma iniicias, si per os eiicitur. Si remedium purum vomitu editur, aut si colica et diarrhoea accedit, aut Elaeosachara aut nonnullae Tctr. Opii gtt. addantur. Si imperfecta cutis crisi paroxysmus praeterit, dentur Diaphoretica, ut Tart. stibiat. dosi refracta, aut Ammon. hydrochlorat.; urinae crisi plane deficiente aut incompleta, remedium adiuvans Cremor. tartar., Tartar. boraxat., et in febre intermittente inflammatoria Natron et Kali nitric. porrigas.

Refutant Chinam nonnulli medici, dicentes paroxysmis subito oppressis gravia evocari incommoda, inter quae primum teneant locum lienis hepatisque intumescentiae; sed haec sunt commentitia, nam China ipsa certissimum illarum saepe ingentium intumescentiarum est remedium. Tum nonnulli, imprimis famosus iste Hahnemann, China adhibita morbum rheumatismo similem effici contenderunt, sed etiamsi revera post febrem intermittentem saepius oriantur neuralgiae, non

China, sed aegroti culpandi sunt, qui crisin per sudorem non rite curarunt, itaque dolores illos evocarunt, quod etiam, ut notum est, Antimonialibus et Mercurialibus adhibitis evenit, si temperatura aequalis, in qua detineri debent aegroti, casu aliquo turbatur. —

Arsenicum iam diu in India et China adhibitum est Febrifugum, donec tandem circiter saeculi XVI finem ad Europam delatum et iam a Paracelso ad curationes praeclarissimas est adhibitum, sed per longum tempus malae famae causa mansit remedium secretum, donec Heim primus huius saeculi initio locum in materia medica ei vindicaret; praecipue autem Arsenicum tum est adhibendum, cum China adhibita paroxysmi commutantur morbusque nervosus fit, deinde cum febris intermittens larvata tantum sub neuralgiae aut paralyseos forma se ostendit; optime autem datur Tctr. Fowler. gtt. vj—vjjj bis quotidie, qua dosi per nonnullos dies adhibita morbis valde inveteratis mederi possumus. Aegroto convalescente, curae ratio per primos XIV dies tamen strenua est continuanda, cum paroxysmi tamdiu saepe sint occulti, et quidem aegroti Chinam pulveratam sumant illis diebus iisque horis, quibus inter morbum Chinae sales aut Arsenicum dabantur, quod supponere possumus, paroxysmum iisdem horis esse rediturum; in levioribus casibus Chin. pulver. ℈j, in gravioribus ʒβ detur et quidem, si necesse est, iisdem cum corrigentibus et adiuvantibus, quae supra attulimus. —

In morbis consecutivis curandis semper est notandum, ex specifico morbi progressu illos esse ortos, qua

de causa remedium hic quoque China est certissimum. Si in lienis hypertrophia, cum substantiae induratione coniuncta, adhuc exstat inflammatio, locales sanguinis detractiones, unguenti Hydrarg. ciner. infrictiones, praeterea remedia resolventia cum extractis amaris et eccoproticis lenioribus adhibeantur; inflammatione sublata, China pulverata cum Cremor. tartar. aut Tartar. tartaris. utamur. Si hypertrophia cum malacosi est coniuncta, contra illam Chinam, contra hanc Ferr. sulphur. aut chlorat. adhibeas. Rariora in hepate sunt residua; si adest inflammatio, antiphlogosi eadem et postea aqua Carolina et China cum Rheo uti oportet. Contra hydropem subacutum una cum Chinae salibus Ammon. acetic. aut muriatic., nec non aquam Selteranam etc. praebeas; hydrops atonicus plerumque diaeta nutriente et remediis roborantibus tollitur, si hoc autem non fit, diureticis excitantibus uti licet; hydrops denique organicus vix radicitus tollitur, quare aegroto modo auxilium palliativum per hydragoga notissima afferre possumus. —

VITA.

Engelbertus Stephani, evangelicae addictus confessioni, natus sum Gielgudiszkae, oppidulo Polonico, die VII. m. Novembris a. h. s. vigesimo quinto, patre Carolo, iuridico summo, quem morte iam diu mihi ereptum valde lugeo, matre Henrica Amalia, e gente Printz, quam adhuc superstitem pio animo veneror. Post patris mortem cum matre Tilsam me contuli ibique primis litterarum elementis imbutus gymnasium, quod tunc directore Cel. Coerber florebat, per decem annos frequentavi. Omnibus hujus temporis praeceptoribus meis quam maximas ago gratias, imprimis autem viris illustrissimis Lentz et Gerlach, maxime de me meritis, in aeternum gratam voveo memoriam.

Testimonio maturitatis instructus, tempore paschali anni quadragesimi sexti Berolinum me contuli et numero civium instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Werder de logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Beat. Hecker de encyclopaedia medica, de pa-

thologia generali, de Celsi libris, de medicinae historia; Ill. Linck de botanice et historia naturali; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Dove de physice; Ill. Mitscherlich sen. de chemia et pharmacia; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; Ill. Mueller de physiologia, de anatomia universa et organorum sensuum, de comparata et pathologica; Exper. Bruecke de histologia microscopica; in arte rite cadavera secandi Ill. Schlemm et Ill. Mueller mihi fuere duces.

Praeterea disserentes audivi: Beat. Eck de therapia generali, de semiotice, de morbis simulatis et dissimulatis; Ill. Mitscherlich iun. de materia medica; Beat. Horn de morbis psychicis; Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi; Ill. Schmidt de arte obstetricia; Cel. Troschel de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis; Cel. Boehm de akiurgia et de morbis oculorum, de operationibus ophthalmiatricis.

Exercitationibus clinicis chirurgicis, medicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico forensibus interfui Virorum Illustrissimorum Langenbeck, Angelstein, Juengken, Schoenlein, Wolff, Romberg, Schmidt, Casper.

Omnibus his viris honoratissimis, quam possum maximas ago gratias, semperque habebo.

Studiorum cursu peracto, medici inferioris in nosocomio caritatis munus suscepi, quo etiamnunc fungor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus naturae minister, non magister.
2. Albuminuria non morbi Brightii solius, sed variorum morborum est signum.
3. Venena non existunt.
4. Arsenicum morborum cutis inveteratorum optimum est remedium.